DE ANGINA GANGRAENOSA EPIDEMICA.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICO-HISTORICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XXI. M. JULII A. MDCCCXLI.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

GUILELMUS WESTPHAL
SAXO-BORUSSUS.

Opponentibus:

H. RHENIUS, med. et chir. Dr.
TH. KLOZ, med. et chir. Dd.
F. VALENTINI, med. et chir. Dd.

BEROLINI,
TYPIS NIETACKIANIS.

VIRO

AMPLISSIMO, ERUDITISSIMO,

PLURIMUM REVERENDO

LUDOVICO SCHAAFF,

SACRORUM ANTISTITI PRIMARIO IN ECCLESIA SCHOENEBECENSI
ET INSPECTORI SCHOLARUM REGIO,

AFFINI DILECTISSIMO

AD CINERES USQUE COLENDO

NEC NON

VIRO

DOCTISSIMO, EXPERIENTISSIMO

REICHE,

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, MEDICO IN EXERCITU BORUSSORUM LEGIONARIO, MEDICO PRACTICO APUD PARTHENOPOLITANOS FELICISSIMO,

FAUTORI SUMME DE SE MERITO

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

Inter omnes morbos epidemicos, qui generi humano ab antiquissimis inde usque ad nostra tempora ingentes strages intulerunt et exitium paene paraverunt, primum obtinet locum genus typhi, illius Protei, qui indole atque natura semper idem morbus, sed forma mirum in modum diversissimus, omnium saeculorum medicos elusit, iisque per obscuram et insidiosam indolem maximos labores et studia non exigua paravit.

Sat notabilis fuit illa typhi species, quam dicunt anginam gangraenosam, seu malignam, cujus brevem expositionem historicam his pagellis tradidi, quia prioribus saeculis epidemice grassata, infantibus potissimum infesta, interdum quoque adultis exitialis fuit, nunc vero suum quasi jus atque imperium anginae membranaceae demandans, paene e morborum infantili aetati peculiarium serie evanuit.

Morbi symptomata, decursum et curationem hic loci

exponere, supervacaneum et inutile fere videtur, quod, haec omnia lectoribus benevolis e libris pathologicis satis cognita et perspecta esse, persuasum habeo.

In veterum medicorum scriptis, prae ceteris in Hippocratis aphorismis, Coacis praenuntiationibus et in libro de morbis secundo, nec non in Celsi et Galeni operibus persaepe mentio morborum anginosorum occurrit, omnium autem nullus morbum nostrum tam praeclare et distincte observavit et descripsit, quam Aretaeus ille Cappadox in libro de causis et signis morborum acutorum primo. Non ineptum videtur, ipsa ejus verba de hac re apponere, quia omnes, qui post eum huncce morbum adumbrarunt et retulerunt, ejus descriptionem optimam atque a natura quasi ipsa desumtam laudant. Loquitur Aretaeus in capite nono (1) de tonsillarum ulceribus agens: »Ulcera in tonsillis fiunt, quorum aliqua usitata sunt, mitia, et innoxia: alia vero insueta, pestilentia et letifera. Mitia quidem pura sunt, exigua, nec profunda, neque inflammantur et dolore vacant. Pestilentia vero sunt, quae lata et cava sunt et sordida, quaeque humore quodam concreto, eoque vel albo, vel livido, vel nigro comprehenduntur: aphthae his ulceribus nomen est. Quodsi concretio ista altius descenderit, adfectus ἐσχάρη (sive crusta) et est et vocatur; et circa crustam rubor ingens oritur et in-

---

(1) Aretaei Cappadocis opera omnia ed. Kühn. p. 17.

flammatio et venarum dolor, quemadmodum in carbunculo fit, et exiguae tenuesque pustulae, quarum aliae aliis supervenientes coalescunt latumque efficiunt ulcus. Id si in os exterius serpat, ad columellam quoque pervenit, eamque exest, et ad linguam etiam et ad gingivas dentiumque alveolos tendit: sub quo dentes labefactantur et nigrescunt, et ad collum inflammatio pertingit; quique ita adfecti sunt, intra paucos dies inflammatione ac febribus, foetore et inedia consumti intereunt. Verum si ad praecordia per asperam tendat arteriam, etiam eo ipso die suffocantur; cor enim et pulmones neque talem odoris foeditatem, neque ulcera, neque saniem sustinent; quin etiam urget tussis ac spirandi difficultas. Causa vero tonsillarum adfectus devoratio est frigidorum, asperorum, calidorum, acidorum et adstringentium. Etenim hae partes et pectori ad vocis spiritusque usum inserviunt, et ventri ad alimenti transmissionem, et stomacho ad ejusdem deglutitionem opitulantur. Et si internis partibus quodvis malum incidat, vel ventri, vel stomacho, vel pectori, ad tonsillas et fauces atque partes citra positas malum per eructationes adscendit. Quapropter pueri ad pubertatem usque vitio hoc praecipue tentantur, quoniam ii praecipue multum atque frigidum aërem trahunt, (nam his plurimum caloris inest,) intemperantes etiam in cibo sunt et varia adpetunt, et frigidam bibunt, alteque et cum irascuntur et in ludo clamitant. Idem puellis etiam, donec per

menstrua purgari incipiant, usitatum est. Ex regionibus id Aegyptus maxime profert; istic enim et aër spirando siccus adducitur et victus genus varium est, ex radicibus atque herbis oleribusque et seminibus acribus, quae ibi large proveniunt: potus autem crassus est vel ex aqua Nili, vel ex acri liquore, qui ex hordeo, aut eo, qui e radicibus conficitur. Idem morbus etiam in Syria et praesertim ea parte, quae Coelosyria adpellatur, frequens est: unde fit, ut Syriaca et Aegyptiaca ulcera vocitentur. Modus autem mortis est miserrimus: dolor acris et fervidus, qualis in carbunculo fit, parva respiratio, quoniam foetidissimum putredinis odorem exspirant eumque prorsus intra pectus statim attrahunt: adeoque infestantur, ut ne sui quidem odorem sustinere valeant; facies pallida vel livida: acutae febres; sitis adeo intensa, ut igne succendi videantur, et potionem tamen aversantur ex doloris metu: vehementer enim adfliguntur, vel si ea tonsillas comprimat, vel si in nares recurrat. Et si forte decubuerint, decubitum non ferentes exsurgunt: cumque exsurrexerint, prae molestia rursus decumbunt: plerumque vero recti stantes obambulant; nam quia nullo modo levamen assequuntur, quietem refugiunt et dolorem novo dolore depellere conantur. Multum intro spiritum adducunt, quia gelido aëre refrigerari expetunt, sed parum ejus exspirant, quoniam ulcera tanquam igne succensa a fervente spiritu magis inflammantur; accedit raucitas vocisque suppressio; et

haec quidem magis, magisque urgent, quoad tandem in terram subito corruentes animam exspirent.«

Aëtii (1) „ἕλκη ἐν παρισθμίοις λοιμώδη καὶ ἐσχαρώδη" nulla alia esse videntur, quam ulcera Aegyptiaca et Syriaca Aretaei, in quibus exponendis Aëtius omnino cum Aretaeo consentit.

Caelius Aurelianus (2) morbum his verbis significat:

»collum et vultus tument, oculi sanguinolenti prominent. Lividus tamen vultus, vox interclusa gutturis est, pectoris stridor, apud alios caninus vocis sonitus, pulsus defectio praecedunt morti.«

Quanta olim clade terrarum orbem afflixerit morbus noster, testis est Macrobius (3), qui ex Julio Modesto retulit: sacrificia esse instituta Angeroniae Deae, quod populus Romanus morbo, qui angina dicitur, sit liberatus.

Inde a saeculo p. Ch. n. sexto usque ad finem saeculi decimi sexti, ubi in Hispania morbus denuo saevire coepit, nullam inveni ejus mentionem apud auctores medicos, aut apud alios, qui annales istis temporibus conscripserunt. Quae res non ad inopiam observationum atque illius aevi scriptorum referenda videtur, quum symptomata anginae illius dirae nimis insignia et ma-

---

(1) Tetrabibl. II. Sermo IV. cap. 46.
(2) Lib. III. cap. II.
(3) Saturnal. Lib. I. cap. 10.

nifesta essent, quam quae observatorem vel obiter intuentem fugere potuissent, sed tribuenda est aliis morbis pestilentibus tunc temporis grassantibus, qui anginae gangraenosae symptomata obumbrarunt et paene obscurarunt. Veresimile tamen est, gangraenosam anginam non plane exstinctam fuisse, sed una cum peste orientali saeviisse, si locum respicimus, qui apud Guainerum (1) occurrit:

»Nam sanies in apostematibus gutturis et suspecta et mala.«

Nomen Germanicum quoque »Bräune«, anginam malignam significans, quod apud complures saeculi decimi quinti et sexti scriptores invenitur et secundum Hekker (2) a colore fusco nomen traxit, nostram probat sententiam.

Sub finem vero saeculi decimi sexti angina nostra in regionibus Europae meridionalibus caput extulit et tanta vi grassari coepit, ut non minoris sit aestimata, quam saevissimi morbi pestilentes. Inde et in Europae et in Americae regionibus septentrionalibus observatae sunt epidemiae hujus morbi, quas secundum singulas terrarum regiones describere mihi proposui.

Asiam quoque minorem eo tempore non tutam ab isto faucium typho mansisse, demonstrat celeberrimus

---

(1) De squinantia fol. 57. ed. Lugdunens. 1517.

(2) J. F. Hecker, Geschichte der neuern Heilkunde. Berlin 1839. p. 240.

Tournefort (1), qui et ipse in illas regiones profectus in insula Milos epidemiam vehementer grassantem anno 1701 observavit et egregie descripsit.

EPIDEMIA HISPANICA.

Quum exeunte saeculo decimo sexto Hispania peste orientali, nec minus typho petechiali tentaretur, primum anno 1598 in Andalusia et Granada angina gangraenosa potissimum inter infantes observata est, et inde imperium suum intra spatium totius fere saeculi per totam Hispaniam et Lusitaniam extendit. Morbus a populo »Garotillo (2)« ob mortem suffocatione inductam, a medicis (3) morbus suffocans, tumor carbunculosus, ulcera gutturis anginosa denominatur, subito infantes ac non raro adultos aggressus est et iisdem fere symptomatibus eminuit, quae jam Aretaeus protulerat. Destructio gangraenosa non solum faucibus, adspectum tumorum rubrorum, in quibus et maculae albicantes et ulcera alte lateque corrodentia, coloris nigri sita erant, praebentibus inhaerebat, sed mox ad cavum narium, ad oesophagum et

---

(1) Relation d'un voyage du Levant. Paris 1717. Tom. I. Epist. 4. pag. 63.

(2) Casales, de affectionibus puerorum Liber. Matriti 1611. „qui hujusmodi vexantur morbo suffocati ac veluti laqueo constricti moriuntur ob idque Garotillo merito nuncupatur morbus iste."

(3) Mercati opera omnia medica et chirurgica. Francofurthii 1620—29. Tom. V. pag. 134.

ipsum stomachum et ad pulmones serpsit atque odorem foetidissimum sparsit; interdum exanthemata rubra, modo critica, modo symptomatica in partibus vicinis animadversa sunt. Febris modo ineunte morbo adfuit, modo per totum decursum, imo usque ad mortem, cui maxima ex parte orthopnoea praecedere solebat, defecit. Plurimi aegrotantes die quarto vel septimo diem supremum obierunt, pauci tantum incolumes evaserunt. Praeter Bocangelinum (1), qui optime morbum nostrum adumbravit, complures illius aevi exstiterunt scriptores medici (2).

EPIDEMIA ITALICA.

Typho petechiali adhuc grassante, nam ab anno

---

(1) Tractatus de morbis malignis et pestilentibus. Madriti 1600.

(2) Don Joaquin de Villalba, Epidemiologia Espannola ó Historia cronologica de las pestes. Tom. II. Madrit 1803.

Joh. de Villareal, de morbo suffocante. Compluti 1611.

Pet. Mich. de Heredia, Opera medicinalia Tom. IV. Lugdun. 1665.

Joh. Alphons a Fontecha, de anginis disputat. Compluti 1611.

Zacut. Lusitanus Opera L. I. Obs. 99.

Thom. de Agujar, Apologia contra Ilefonsum Numez Marcenae 1621.

Alphons. Gomez de la Parra, Polyanthaea, medicis speciosa, chirurgis mirifica pp. Matriti 1625.

Renatus Moreau Epist. de Laryngotomia.

Bartholin Epist. Cent. I. pag. 336.

1505 in Italia hic morbus quasi inquilinus fuit, Neapoli anno 1618 prima indicia anginae gangraenosae apparuerunt. Utrum ex Hispania eo delata sit, an eodem modo sponte exorta, non constat; verosimilis autem est secundus originis modus, quod tunc temporis in illis regionibus calore, ventis meridionalibus atque inundationibus lues inter boves (1) provocata erat et multi morbi typhodes in Europa et America vigebant.

Severinus (2), qui morbum luculenter descripsit, mox anginam eandem cognovit, quam Aretaeus ulcerum Syriacorum et Aegyptiacorum nomine notaverat, et anginae laudat nomina: Tonsillas pestilentes, strangulatorium faucium affectum, carbunculum pestilentem, laqueum gutturis, Male in canna et quae sunt alia.

In morbo illustrando nulla paene re ab Aretaeo discrepat et de hujus descriptione, quam normam quasi ad coelum laudibus tollit, haec verba facit (pag. 432.)

»Extant de hac re propria et peculiaria Aretaei Cappadocis monumenta, quae quoniam brevia, compendiosa, luculenta, accommodata, rata et gravitatem et majestatem Hippocratis referunt omnia praestiterit semel integra, quam concisa saepius

(1) Marcus Aurelius Severinus in appendice operis: De abscessuum recondita natura inscripta Παιδαγχώνη λοιμώδης seu de pestilente ac praefocante pueros abscessu diatriba singularis. ed. secund. Francofurth. ad Moen. 1643 pag. 432. „boum annua lues antecessisse, quo mirum in modum strangulati concidebant."

ac disjecta produci: tum ut antiqua morbi idea, quantum hodierna coëat, perspici possit, tum ut sui quasi prototypo et exemplari norma ad exercitationem hanc omnem parato nobis liceat uti.«

Haud raro anginam cum exanthematibus petechialibus conjunctam fuisse, probat locus pag. 441:

»— — — hoc pestilentis argumentum est certissimum, saniem et cruore confusas pustulas nigras hoc, illo loco parvas. Ecthymata et pustulae pulicum morsus referentes — — —«

Quam complicationem in regione Mutinensi adhuc anno 1692 Ramazzini (1) vidit.

E descriptione sectionis cujusdam, quam Severinus in puero angina gangraenosa defuncto instituerat, licet opinari, laryngem et tracheam morbo haud intactas fuisse (2). Inde a Neapoli morbus totam Italiae partem inferiorem ac Siciliam insulam invasit, et quantam cladem longe lateque potissimum inter infantes diffuderit, testis est Neapoli Severinus (3), in Sicilia Baptista Cortes (4).

---

(1) Constitutio epidemica Mutinens. pag. 56.

(2) pag. 468. „Pervestigata larynx crustacea quadam pituita facie exteriore contecta citra ulceris speciem.“

(3) pag. 429. „ex hujus unius pestis vi plus millium praereptos de matrum gremiis, de parentum complexibus querimur.“

(4) Miscellaneorum medicinalium Messanae 1625. Decad. IX. Epist. VI. pag. 696.

Alii, qui de nostro morbo retulerunt autores (1) fere nulla in re a Severino discrepant.

Saeculo abhinc superiore in urbe Cremona anginam gangraenosam epidemice grassatam accuratissime observavit Martinus Ghisius (2). Anno 1744 exorta erat lues anginosa inter boves, quam anno 1747 species anginae nostrae mitior secuta est inter pueros, nam accessit morbus cum ulceribus faucium et colli tumoribus raro, qui per se aegrotantes necabant. Sed non diu perstitit haec anginae forma et jam sub finem anni 1747, uti celeberrimus Ghisius accurate et luculenter mox distinxit, sedem consuetam in faucibus collocatam reliquit et quodammodo ad laryngem migravit, ita ut aegrotantes per tussim membranas eliderent fibrinas. Ex isto inde tempore frequentius atque frequentius anginam membranaceam observatam et in libris medicorum descriptam invenimus, quamquam contendere non audeo,

---

(1) Joh. Andr. Sgambatus, de pestilenti faucium affectu Neapoli saeviente. Neapoli 1620.

Aetii Cleti Signini de morbo strangulatorio opus. Romae 1636.

Francisc. Nola, de epidemio phlegmone anginosa grassante Neapoli. Venetiis 1620.

Joh. Baptista Carnevala, de epidemio strangulatorio affectu. Neapoli 1620.

Joh. Ant. Toglia de faucium ulceribus. Neapoli 1613.

Alaymi Consultatio pro ulceris Syriaci nunc vagantis curatione. Panormi 1632.

(2) Lettere mediche II, sopra le Angin, epid. delgi anni 1747 e 1748. Cremon. 1749.

anginam gangraenosam tunc temporis subito in anginam nostram membranaceam esse conversam, nam verosimilius est, illam, quam vidit Ghisius, anginam formam transitoriam ad membranaceam, qualem nos observare solemus, fuisse (1).

EPIDEMIA AMERICANA.

Optimam hujus epidemiae notitiam debemus Scoto cuidam medico, William Douglas (2). Primum caput suum extulit morbus, Throat distemper nuncupatus, verno tempore anni 1735 Kingstoni, oppido regionis New-Hampshire in America septentrionali, et quidem initio inter infantes, tum intra duos annos per totam fere Americam borealem semina sparsit. De morbo ab Europa ad has regiones translato exiguo jure cogitari potest, si situm oppidi Kingston, a mari sex milliaria distantis, respicimus. Anginae ortum praecesserant alii affectus typhosi et lues pecuariae, quales plerumque in ceteris epidemiis animadvertere licebat. Quibus rebus verosimile redditur, una cum aliis typhis eo tempore grassantibus anginam genesi spontanea ortam esse, nulla enim in terra illis temporibus angina gangraenosa regnabat. Peculiare huic epidemiae et memoratu dignum est, exanthema miliare non symptomaticum, sed criticum

(1) Hecker's Geschichte der neuern Heilkunde pag. 269. praeterea vide Epidemiam Suecicam p. 26.

(2) Practical History of a new eruptive miliary Fever, with Angina ulcusculosa which prevailed in Boston in 1735 and 1736.

persaepe intrasse et ulcera gangraenosa pone aures haud rara fuisse; in universum tanta fuit proclivitas ad destructiones gangraenosas, ut fere omnes fortuito ortae laesiones statim in ulcera putrida atque gangraenosa abirent.

Douglas et Cadwallader Colden (1), quamquam pulmonum inflammationes commemorant, tamen laryngitidis et tracheitidis nullam faciunt mentionem. Sicuti in curandis typhis omnibus, ita in hac quoque angina remedia heroica dicta, prae ceteris venaesectio, nullum praestiterunt usum, diaphoretica medicamina vero, quae jam medici Hispanici saluberrima in angina maligna cognoverant, effectum ad sanandos aegrotantes habuerunt meliorem.

Angina, quae anno 1752 circa Neo-Eboracum regnavit, secundum Middleton (2) non mere gangraenosa, sed inflammatoria videtur extitisse, nam ipse autor eam nuncupat »trachealem,« et affirmat, in trachea atque bronchiis saepe lymphae plasticae membranulas occurrisse. Quamquam fauces ac tonsillae apud plerosque vehementissime erant affectae, mors subitanea tamen magis ad laryngis inflammationem videtur referenda et paene dubitare non licet, quin haec angina, si ipsa nostra membranacea non fuerit, ad eam quidem propius acces-

---

(1) Medical Observations and Inquiries.

(2) Sammlung auserlesener Abhandlungen zum Gebrauch für praktische Aerzte. Bd. 7. S. 232.

serit, praesertim quum ipse autor contendat, sanguinis missiones et initio morbi emetica statim adhibita optimum fructum tulisse.

EPIDEMIA ANGLICA.

Anno 1739 pueri aliquot nobiles Londini repentina morte perierunt, postquam brevissimo temporis spatio ex colli tumore laboraverant. Hicce autem morbus non latius sese extendens medicis non majoris momenti visus est. Sed ab anno 1742 inde ad annum 1754 angina illa frequentius infestavit infantes et Londini et in vicinis locis atque a celeberrimo Fothergillio (1) accuratissime observata et praeclare litteris mandata est. Morbi decursus in universum mitior erat, quam in epidemiis superioribus, ejus vero origo omnino obscura est, attamen partes aliquae tribuendae sunt febri petechiali in Hibernia saevienti et morbis typhosis eodem tempore per totum terrarum orbem regnantibus. Initium morbi haud raro gastricae affectiones, vomitus et diarrhoea indicabant, et dum omnia signa essentialia adfuerunt, multis in casibus post diem tertium vel quartum rubor roseolus supra totum fere corpus exortus est, cui interdum papulosum exanthema immixtum erat, quodammodo criticum; desquamationis autem manifestae mentionem Fothergillius nullam facit. Etsi constat, in illis regionibus eodem fere tempore scarlatinam epidemicam regnasse,

(1) An Account of the putrid Sore Throat. Lond. 1769.

protinus tamen conjici non potest ex hac angina gangraenosa in Anglia scarlatinam prodiisse atque iis magis assentiendum videtur, qui aliam scarlatinae originem tribuerunt (1). Inflammatio laryngis et tracheae rarius medicis obviam venit. In epidemia Eblanensi, quam Rutty (2) memoriae prodidit, suffocatione permulti infantès perierunt, quamquam vehemens faucium affectus non existebat et ulcera gangraenosa tantum pone aures morbi naturam indicabant.

Eodem fere tempore acutissimis symptomatibus morbus noster sese ostendit in Cornvallisia et majore ex parte conjuncta erat cum inflammatione tracheae. Petechiae ac pustulae gangraenosae, interdum sine omni angina, quae haud raro in latas partium affectarum destructiones transire solebant, persaepe in medicorum conspectum venerunt (3).

Epidemica in angina, quam celeberrimus Huxham (4) Plymouthi anno 1751 et annis hunc sequentibus exacte

---

(1) Vide 1) Hecker l. c. 234. 256. und Geschichte des Scharlachfiebers.

2) Dangers Dissert. inaug. de angina maligna. Goetting. 1792.

3) Arntz Dissert. inaug. de differentia inter angin. gangraen. epidem. atque eam, quae interdum cum scarlatina occurrit. Berol. 1840.

(2) Chronological-History of the weather and seasons and of the prevailing diseases in Dublin. London 1770. pag. 110.

(3) John Starr, an account of the morbus strangulatorius. Philosoph. Transact. Vol. 46. pag. 435. Crawford Dissert. de angina stridula. Edinburgh 1777.

(4) Dissert. de angina maligna Opp. Tom. III. pag. 93.

observavit, proprium se ostendebat exanthema rubrum, quod desquamatio secuta est, modo salubre, modo nullum aegrotis levamen afferens.

Ita morbus pedetentim peragravit totam Britanniam atque Hiberniam usque ad annum 1770, ubi denuo eum Londini ingentes strages edidisse William Grant (1) narrat.

EPIDEMIA BATAVA.

quae ab anno 1746 usque ad annum 1770 praecipue Lugduni Batavorum (2), nec non Trajecti ad Rhenum (3) grassata est, nullatenus a solito decursu discessit. Animalium pestilentiae, nebulae admodum humidae et ea aëris constitutio, quam veteres nomine »austrinae« significarunt, genesi morbi favisse videntur.

EPIDEMIA HELVETICA.

quamquam imperium suum non per latos fines expandit, tamen ob singularem decursum et symptomata peculiaria haec angina notabilis et satis digna est, quae paulo accuratius examinetur. Verno tempore anni 1752 in ea Helvetiae regione, quam Siementhal vocant, nonnulli

(1) An Inquiry into the nature rise and progress of the Fevres most common in London etc. London 1771.

(2) Rud. Zaff, Synopsis observat. medicar. etc. cum historia et curatione novae anginae annis 1745 et 1746 epidemicae grassantis. Lugdun. Batav. 1751.

(3) Th. H. Keetell Dissert. med.-pract. inaug. de Angina epidemica anni 1769 et 1770. Trajecti ad Rhen. 1773.

pueri intra paucos dies angina quadam maligna necati sunt. Sensim morbus, hiberno tempore fastigium nactus, ubique fere his cum symptomatibus accessit multosque pueros et adultos interemit. Morbus quovis diei tempore repente intrans magnam lassitudinem artuumque dedolationem protulit, quas mox secutus est vehemens horror et tensio inde ab auribus usque ad pectus, dolor levis et pruriens inter deglutitionem. Tonsillae fere sine manifesta inflammatione tumebant et febris exigua interdum nulla occurrebat, etsi decursu provectiore maximae destructiones gangraenosae existerent. Circa idem tempus membrana crassa, e livido-albescens, obducebat uvulam ac pharyngem, atque magnae bullae flavae serum acre et corrodens continentes, in toto oris cavo exortae sunt, quae mox glandulas salivales corripuerunt et ulcera quodammodo phagedenica, non semper malum aegrotis exitum minitantia, reliquerunt. Morte, quae inter diem quintum et decimum quartum intrare solebat, instante, omnes tumores conciderunt et aegrotantes, qui tussi sanguinem foetidum et saniem elidebant, inter spirandi difficultates, deglutitione autem expedita, nec ullum dolorem accusantes diem obierunt. Permulti mirum in modum ne febriculam quidem ostendebant et omnium aegrotantium dimidia pars ne ex ipso quidem collo laborabat, sed in aliis corporis partibus, praesertim in inguinibus, illas bullas, quasi bubones, eodem insignes decursu, quem supra adnotavi, offerebat.

Affectiones pulmonum plerumque exitus funestus est secutus. Sanguinis e vena missi atque urinae singularis commutatio erat nulla.

Omnium remediorum sola diaphoretica effectum aliquanto bonum praestitere.

Daniel Langhans (1), qui talem anginam descripsit, potissimum accusat ventos meridionales nebulasque densas per totam vallem diffusas, sed mira morbi symptomatum et apud homines et apud animalia observatorum similitudo, nam prae ceteris boves eodem tempore eodemque modo quam homines affecti sunt, quam luem J. Paulet (2) »Louvet« nuncupat, suspicionem movet contagii ab animalibus ad homines translati, quemadmodum apud nos eadem ex causa pustula ita dicta maligna manat. Sed verosimilius est, easdem causas typhum et inter homines et animalia excitasse, id quod saepe in pervestiganda morborum genesi ob oculos nostros ponitur.

EPIDEMIA GALLICA.

In Gallia, quae per multorum saeculi decimi octavi annorum spatium angina gangraenosa tentabatur, exan-

---

(1) Beschreibung verschiedener Merkwürdigkeiten des Siementhals, eines Theils des Bernergebiets; nebst einem genauen Bericht über eine neue ansteckende Krankheit in diesem Lande. Zürich 1753.

(2) Recherches historiques et physiques sur les maladies épizootiques. Vol. II. Paris 1776.

themata rubra haud raro observabantur, modo symptomatica, modo critica, et illis non dissimilia facile cognoscuntur, quae jam in Anglia Fothergillio in conspectum venerant, si legimus eorum descriptionem a Marteau de Granvilliers (1) et a Chambon de Montaùx (2) nobis relictam. Ita angina decursum absolvit in Picardia et Normandia usque ad anginam istam miliarem ab anno 1770 Rotomagi grassantem, quacum haud raro complicationem iniit (3).

In epidemia Parisiensi ab anno 1745 inde ad annum 1750 regnante, quam Astruc observavit et praesertim I. B. L. Chomel (4) diligenter adumbravit, initio exanthema visum est nullum, sed permultis angina affectis vehemens tracheae et pulmonum inflammatio vitam quam celerrime abstulit. Paulo post Malouin (5) exeunte anno 1750 mentionem facit exanthematis manuum rubri. Non omittendum videtur, hoc omni tempore, ut in superioribus epidemiis commemoratum est, pestilentias in-

---

(1) Journal de méd. Août 1759.

(2) Traité de la Fièvre maligne simple et des Fièvres compliquées de malignité. Paris 1787. Tom. IV. pag. 111.

(3) Lepecq de la Cloture, Collection d'observations sur les maladies et constitutions épidémiques. Rouen et Paris 1778. Constitut. scorbutique.

(4) Dissertation historique sur l'espèce de mal de gorge gangréneux, qui a regné parmis les enfans l'an dernier. Paris 1749.

(5) Histoire de maladies épidémiques observées a Paris, in Memoir. de l'Acad. des Sciences mèd. année 1747.

ter boves cum anginis malignis conjunctas a compluribus de morbo nostro disserentibus commemorari (1).

Reliquae in Gallia epidemiae solitum decursum absolverunt, majoris autem momenti fuit angina anno 1746 Montispelii grassans, quod plurima ex parte cum laryngis et tracheae inflammatione accedebat, neque medicos diligentius eam observantes fugit, aegrotos tunicas lymphae plasticae tubuliformes tussi ejecisse, id quod jam in America, Cremonae et in Suecia pluries medicis compertum erat.

EPIDEMIA SUECICA.

Primum anno 1755 in Suecia nostra angina apparuit, postquam ibidem, ut in aliis terris, variae boum lues antecesserant. Morbi decursus non erat superioribus dissimilis, quare de hoc non verba faciam, magis autem notatu dignum illud videtur, quod non diu post angina membranacea una cum gangraenosa regnaverit.

H. Ch. D. Wilke (2), qui intime historiam morbi in patria sua perspexit, prima in epidemia, ait, a Rudberg in Nericia observata, sanguinis missiones usu salutari non caruisse, id quod probat characterem inflammatorium jam ab initio morbi praevaluisse. Porro ille

---

(1) Ozanam, Histoire médicale générale et particulière des maladies épidémiques contag. et epizootiques. Paris et Lyon 1817 — 1823. — Navier Dissert. sur les plusieurs maladies populaires pp. Paris 1753.

(2) Dissertatio de Angina infantum recentioribus annis observata Upsaliae 1764. in Sandiforti Thesauri diss. T. II. p. 347.

memorat sectionem demortui cujusdam infantis, apud quem, quum anno 1757 Holmiae morbus secundum Bergii (1) relationes grassaretur, in aspera arteria undique membrana rubra, lymphatica, peculiaris tubi speciem referens, neque intime ei adhaerens, sit reperta, quae etiam ad tenuissimos bronchiorum ramos se extenderit et a membrana bronchiorum propria plane distingui potuerit. Signa pulmonum inflammationem probantia adfuisse dicit nulla.

Epidemia Upsaliensis cladem infantibus intulit permagnam et perquam contagiosa ann. 1761 et 1762 saeviit.

Ineunte Calmariensi epidemia, de qua Wahlbom (2) egit, decursus morbi omnia symptomata illi typho communia et ipsas petechias demonstravit, sed non multo post inflammationes laryngis et tracheae frequentiores animadversae sunt, ita ut angina gangraenosa cum membranacea de summo imperio pugnasse videatur. Holmiae demum anno 1771 morbus noster omnino evanuerat et angina membranacea sine omni faucium affectu, tam inflammatorio quam gangraenoso, grassari coepit. Quae res opinionem nonnullorum auctorum, anginam gangraenosam plane in membranaceam anginam transiisse, confirmare videtur, sed nullo fere in loco transitus morbi typhosi in affectum mere inflammatorium, cui anginam

(1) Försök till de i Sverige gaengbara sjukdomars utrönande för aor 1755. Stockholm 1756.

(2) Berättelser till riskens ständer för aor 1762.

membranaceam adnumerandam esse constat, observatus est (1) et opinio non prorsus rejicienda videtur, dummodo characterem utriusque morbi diversum respicias, anginam gangraenosam, calidioribus et meridionalibus regionibus originem suam debentem, aëris conditionem septentrionalem quasi perferre non potuisse itaque interiisse, id quod etiam de febri flava Americana adnotare licet, anginam membranaceam vero in ista aëris borealis conditione, ad morbos rheumaticos et inflammatorios maxime prona, patriam veram invenisse.

EPIDEMIAE GERMANICAE

tam late extensae et perniciosae, quam aliis terrarum orbis regionibus vidimus, nusquam observatae sunt, attamen hujus typhi patriam nostram omnino expertem fuisse non dicam, nam Wier (2) narrat, anno 1564 et sequentibus anginam quandam malignam cum pneumonia gangraenosa conjunctam in Rheni inferioris regionibus, quasi pestis orientalis pedissequam, saeviisse, non latius autem prorepsisse.

Ineunte saeculo priore Wedel (3), viro cuidum generoso in regione Jenensi una hieme sex filios anginam quandam malignam abripuisse, memoriae prodidit.

Sachs (4) laudat duos autores, quorum alter Hir-

(1) Hecker, p. 273.
(2) Medicar. Obs. Lib. I. Opp. pag. 910.
(3) In libro de morbis infantum, Jenae 1717. pag. 72.
(4) Artikel „Angina gangraenosa" im encyclop. Wörterbuch d. med. Wissensch. herausgeg. v. d. Prof. d. med. Fac. zu Berl. Bd. II.

schel epidemiae gangraenosae in regione circa Lissam anno 1766 regnantem, alter Scheidemantel epidemiam in regione Fuldensi anno 1788 vigentem observasse dicitur.

Alicujus autem momenti videtur esse ea angina, quae nuper in quibusdam regni Wuertembergensis (1) regionibus saeviit, quumque haec partim ad nostra tempora propius accedat, partim insignem decursum et peculiaria symptomata obtulerit, paulo diligentius eam adumbrare, mihi proposui.

Morbus, qui maxime infantes atque pueros infestavit, adultis quoque non plane pepercit, eo potissimum tempore annorum 1835 et 1836 se ostendens, quo morbi rheumatici, gastrici et typhodes, nec minus exanthemata acuta, praesertim erysipelacea, florebant. Destructio gangraenosa sedem suam crebrius in externis colli partibus collocavit et minori tantum gradu fauces et iis adnexas partes, ut in epidemiis prioribus, affecit.

Inter symptomata, quae anginam rheumaticam vel febrem gastricam antecedere solent, maxime inter horripilationes, lassitudinem artuum, capitis dolorem et difficilem deglutiendi facultatem morbus levi febri ordiebatur. Mox in utroque, plerumque vero in uno tantum latere, tumor duriusculus, interdum ligni duritiem tactu praebens, e tela cellulosa colli, maxima parte ab eo loco,

(1) Medicin. Correspondenz-Blatt. d. Würtemberg. ärztlichen Vereins. Stuttg. 1836, Bd. VI. Nr. 4, 5, 9, 10, 15, 17, 18.

quo glandula submaxillaris posita est, originem cepit. Sensim ad parotidem glandulam et ad mentum, indeque ad laryngem descendens, interdum ad alterum etiam colli latus serpens tumor sese expandebat, qui praeter telam cellulosam musculos quoque vicinos, raro autem glandulas ipsas afficiebat. Fundum cavi oris, cui lingua tegumento albo inducta imposita erat, durum et laete rubrum tumor duritiei scirrhosae, margini alveolari inhaerens, instar valli circumdedit. Facultas os aperiendi erat diminuta et movendi conamen excitabat dolores. Quum lingua per illum tumorem sursum et retrorsum versaretur, aegrotantes non distincte, interdum sonum murmurantem proferentes, locuti sunt. Difficultas deglutiendi morbo increscente augebatur. Tunica pharyngis mucosa mox ab initio, aut serius, inflammatione levi afficiebatur et multo muco obtegebatur.

Inter hunc morbi decursum, spatium dierum quatuor aut sex explentem, coenaesthesis non admodum afflicta erat. Tum tumor fit mollior, circa pharyngem nascuntur membranae fibrinae, cutis supra tumorem collocata initio mobilis et minus tensa, colore non mutata, postea nonnullis in locis fit rubra, prominet et digito imposito sensum fluctuationis praebet; cutis autem tali modo mutata praeter opinionem diu perseverat et post complures demum dies in loco cavi oris quodam, ad linguae radicem sito, rumpitur et in ulcus conversa saniem gangraenosam et male olentem secernit. Deinde morbus hunc in modum altius provectus characterem asthenicum manifestat et mox febrem evocat typhosam: somnus deliriis blandis interrumpitur, urina deponit sedimentum album, sudores viscidi, colliquationem indicantes, in tota cute exoriuntur. Dyspnoea in dies aucta minus a tumore, quam a nervo vago, inflammatione vehementer affecto, videtur pendere. Ita mors modo omnibus symptomatibus exstinctis indeque fallaci spe sanationis non raro oblata, modo inter coma, spasmos, interdum deliria furibunda et vehementissimam spirandi difficultatem die decimo vel decimo quarto morbi intrat.

Si morbus ad sanationem tendit, tumores indurati mollescunt et deinde solvuntur, motus mandibulae et deglutitio fiunt expeditiores, facultas solito more loquendi redit. Sectione cadaveris instituta, cutis tumorem obtegens non admodum destructa et sero quodam exsudato quasi separata a tela cellulosa invenitur. Tela cellulosa

inter cutem et musculos colli expansa degenerationem gangraenosam ostendit latissimam et nonnullis in locis saniei cujusdam sanguinolentae, nigrae, foetidae accumulationes obviam veniunt; musculi ipsi morbo affecti squalido-rubri, modo in massam compactam, hepatis substantiae haud dissimilem, mutati, modo emolliti erant. In nonnullis cadaveribus periosteum ab osse maxillae inferioris solutum visum est. Tunica mucosa oris, pharyngis et tracheae in plerisque modo paullulum inflammatione rubefacta erat, in uno tantum casu Heim (1) vidit mucosam tunicam laryngis colore nigrescentem et inflammatione gangraenosa affectam. Nervi vagi et recurrentis et neurilema et substantia ipsa nervea interdum colore squalida et quod ad structuram mutata et emollita animadversa sunt.

Quod attinet ad curationem, sanguinis detractiones et universales et locales cum apparatu medicaminum antiphlogistico adhibitae non semper optatum successum praestabant. Initio in nonnullis morbi vis emeticis et laxantibus fracta est; multis profuerunt sudorifera, praecipue praeparata antimonii, nec minus epispastica, imo fonticuli qui morbum ad cutem transferrent.

Natura morbi, quamquam obscura, non dissimilis videtur carbunculis et illi erysipelati maligno, in quo mox ab initio systema nervorum vehementer aegrotat. Bosch (2) observavit morbum post febrem nervosam epidemicam, Schmetzer (2) post typhum abdominalem, Good (3) similem in Anglia passionem describit.

---

(1) vid. Nr. 10. — (2) Nr. 10. — (3) Nr. 17. et 18.
(4) The Study of Medicine. Vol. II. p. 414.

VITA.

Ego Guilelmus Henricus Georgius Ernestus Westphal, anno MDCCCXVI. die XVII. mensis Aprilis Parthenopoli natus patre Ernesto, Regi a consiliis justitiae, matre Albertina e gente nobili Bornstedt, quos adhuc vivos atque salvos Deus benignus mihi servavit. Confessioni addictus sum evangelicae. Primis literarum elementis in gymnasio cathedrali Parthenopolitano, quod tunc temporis Beat. Matthias sub auspiciis florebat, imbutus adii gymnasium Beatae Mariae virginis

Parthenopolitanum, quod tunc praeposito summe venerabili Zerenner, rectore Ill. Solbrig florebat et adhuc floret. Testimonium maturitatis nactus paschali tempore anni hujus saeculi trigesimi septimi, ineunte mense Novembri inter cives instituti regii medico-chirurgici Friderico-Guilelmiani receptus sum et per quadriennium hisce interfui scholis:

Cel. Wolff de hodegetice, logice, psychologia; Cel. Preuss de historia; Ill. Hecker de encyclopaedia et methodologia medica, de Celsi libris et de historia medicinae; Ill. Link de re herbaria et de historia naturali; Cel. Turte de physice et pharmacia; Ill. Mitscherlich de chemia organica et anorganica; Cel. Henle de anatomia generali; Ill. Schlemm de osteologia, syndesmologia et splanchnologia; Ill. Mueller de anatomia universa, pathologica, comparata, de physiologia, qui una cum Ill. Schlemm in arte cadavera rite secandi dux mihi fuit; Cel. Eck de physiologia, de pathologia et therapia generali, nec non de semiotice; Ill. Osann de materia medica, de fontibus medicatis, de auxilio in repentinis vitae periculis ferendo; Ill. Horn de pathologia et therapia speciali, de morbis syphiliticis et psychicis; Cel. Romberg de morbis systematis nervosi, de diagnostice morborum cordis et pulmonum physica; Ill. Casper de arte formulas medicas rite concinnandi et de medicina forensi; Ill. Kluge de arte fascias chirurgicas rite imponendi, de ossibus luxatis et fractis, de chirurgia generali, de akiurgia et de arte obstetricia; Cel. Froriep de anatomia chirurgica et de akiurgia; Beat. Rust de chirurgia speciali.

Exercitationibus interfui clinicis medicis Ill. Schoenlein et Cel. Wolff; chirurgicis et ophthalmiatricis Ill. Juengken, Ill. Dieffenbach, Beat. de Graefe; obstetriciis Cel. Kluge; policlinicis Cel. Truestedt; medico-forensibus Ill. Wagner.

Quibus omnibus viris summopere venerandis gratias quam maximas habeo et semper habebo.

Jam vero tentaminibus, tam philosophico, quam medico, nec non examine rigoroso superatis, spero fore, ut dissertatione thesibusque rite defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. Angina gangraenosa epidemica typho adnumeranda.
2. Diabetes non renum morbus, sed cachexia.
3. Febres intermittentes sunt neuroses.
4. Carcinoma apertum non vetat amputationem.